



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 35. Episcoporum Numerus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

non enim huic Responsioni cohærebant. Sæculum V.
A. C. 411.
 Marcellinus petiit, ut coram Deo fate-
 rentur, an Quodvult Deus in sensu, quo
 Mandata scripta, Carthagine præsens
 fuerit. Emeritus coactus est dicere:
Perinde est, si ipse vel alius subscripserit.
 Atque ita mendacii convicti sunt.

§. XXXV.

Episcoporum Numerus.

Omnium Subscriptionibus examinatis,
 Marcellinus a suis Episcoporum u-
 triusque Partis numerum iniri iussit.
 Donatistarum Episcopi numerati sunt du-
 centi sexaginta & novem, etiam absenti-
 bus, pro quibus alii subscripserant, & ipso
 Defuncto, comprehensis. Catholici du-
 centi sexaginta sex fuere, qui subscripse-
 rant, & alii viginti, qui in Mandata vi-
 va voce consenserunt; itaque univer-
 sim ducenti octoginta sex Episcopi. A-
 lypius edixit, centum viginti sex vel va-
 letudinis, vel senectutis vel alterius Ne-
 cessitatis causa abesse. Ad hæc Petilia-
 nus: *Scribatur, ex Parte nostra longe
 plures esse absentes Episcopos, & Cathe-
 dras vacantes, in quibus Episcopi ordi-
 nandi.* Hoc Monitum contrarium erat Sup. n. 28.
Aug. Brev.
c. 14.
 Donatistarum Declarationi, quam ante
 Collationem ediderant, solos ægrotos e-
 mansisse. Fortunatianus edixit, Catho-
 licorum

n. 213.

n. 217.

Sup. n. 28.

Aug. Brev.

c. 14.

Sæculum V.
A. C. 411. licorum quoque Sedes sexaginta quatuor esse vacantes. Inde colligitur, in Africa illa ætate Ecclesiam Catholicam quædringentas septuaginta Episcopales Cathedralas numerasse, etiamsi aliquæ a solis Donatistis occuparentur. Ex his, quotus fuerit in universa Ecclesia Episcoporum numerus, conjicere licet. (*)

n. 218.

Tum vero omnes, quorum Præsentia in collatione non erat necessaria, egressi sunt, Comite Marcellino cum Ministris atque octodecim utrinque Delegatis seu triginta sex Episcopis remanentibus. Marcellino interroganti, quæ jam hora diei esset, Ministrorum aliquis respondit, unam ad noctem superesse horam, seu auditam esse undecimam. Quare omnium consensu in diem tertiam, quæ

n. 119.

erat tertia Junii, dilatum est Colloquium, ut una dies intercederet, qua Acta describerentur. Hæc prima die acta sunt.

221.

§. XXXVI.

(*) Anonymus I. optime adducit testimonium sapientissimi viri D. Langnet, Episcopi Sueffionensis, & deinde Archiepiscopi Senonensis, tempore Concilii Ariminensis sex millia Episcoporum in tota Ecclesia extitisse, atque ex eo sequi, majorem absque comparatione numerum Catholicorum, & non Prævaricatorum, quam Hæreticorum fuisse, ideoque veritati adversari, quod Novatores post Calvinistas dicunt, illa tempestate ferme totam Ecclesiam errasse.